

1599 eorum, quæ Clementis nomine petierat, impetratum iri : aliquid fane, urgente necessitate, uti alias consueverant, Cæsareanos effecturos; verum de hujusce morbi radicibus penitus evellendis atque extirpandis parum cogitare. Missis magna omnium expectatione, magnis pollicitis ab Ferdinando Seniam procuratoribus, rei exitus ab iis, quæ superioribus annis contigerant, haud valde dissimilis extitit.

At Donatus in omnia assidue intentus, triremibus longisque lintribus milite atque bellico apparatu apprime instructis, nusquam muneri deerat. Qua obsidendo, qua insequendo complures interfecti; aliquando propius magna cum prædonum internecione pugnatum : nulla in eo viro prudentis ac strenui ducis officia desiderata; ut ingenti terrore correpti, neque libere vagari, neque e Murlacæ freto sese proripere auderent. Atque ad arctiora frena teterrimo hominum generi injicienda, litorum, recessuum, oppidorum, illius oræ situ sedulo ac diligenter inspecto, binos scopulos, inter quorum angustias ultro citroque commeantibus Uscochis transeundum erat, animadvertit, Jubæ alterum, alterum divi Marci vocitatum; iisque in locis exigua aliqua munitione excitata, præsidioque imposito, coerceri haud parum atque deprimi audaciam gentis posse ratus, cum ad Senatum scripsisset; quidquid Reipublicæ conducere, ut sibi opportunius videretur, faciendi facultas tributa. Paucis itaque diebus opere perfecto, singulis munitionibus præfecto cum viginti peditum cohorte attributo, arctiores prædonibus compedes injecit. Inter hæc quingenti Galli pedites, Francisco Martinengio, levioris armaturæ præfecto, qui in ea externi militis difficultate suam operam detulerat, curante, alpes transgressi, ad urbem, exacta jam ætate, pervenere. Horum opera, quod parum maritimis obeundis belli muneribus idonei, ægreque triremium labores atque incommoda passuri viderentur, minime in Illyrico utendum, sed Palmam, ex qua, si occasio posceret, evocari facile possent, mittendos Senatus censuit.

Iis, quæ hoc anno contingere, excitati Patres, cum bella non absque externo milite confici posse, magnamque rerum omnium mutationem in Italia subsequutam esse intelligerent, ut qui alias ex omnibus ejus provinciis certatim in Venetam mili-

*Bina  
munitiones  
contra U-  
scobos a  
Donato le-  
gato erectæ.*

*Venetorum  
consilium  
de ex-  
ternis mili-  
tibus suis  
stipendiis  
adscriben-  
dis.*